Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſeptimâ Martii.

M. JOANNE BOUDIN, Doctore Medico, Præſide.

An Oſtreum crudum eſca ſaluberrima?

VITA hominis ſanguinis præſertim beneficio ſuſtinetur. Eò quaquaversùm diffuſo corpus univerſum nutritur & creſcit; dum ſcilicet ex liquoribus quos ſecum portat omnigenis, qui parti cuique eſt maximè idoneus, non quidem iners & otioſus, attrahitur; ſed gnaviter impulſus admittitur. Ex eodem fonte dimanat ſpiritus, ſenſûs motûſque principium. Sanguinem ideo inculpatum ſanitas, vitæque longitudo: ſordidatum morbi, matura ſenectus, totiuſque tandem diſſolutio, conſequuntur. Maximè autem ad id intereſt quâ ratione quiſque cibus ventriculo exceptus ſubigatur. Si res naturæ votis reſpondeat, laudabilis chylus venis arteriiſque infuſus, perenni motu & fermentatione particularum, figuram & ſitum nactus ab eo quem priùs habebat diverſum, ſanguinem ſuppeditat ut ſuæ bonitati, ſic partium ſingularum deſiderio reſpondentem. Hinc tanta medicos, ut prima illa in ventriculo opera ſuccedat, ſollicitudo angit. Ad id, omne punctum feret, qui beatus ſciet familiare alimentum, alienumque internoſcere. Rejicienda ſunt pleraque, quæ paravit ars gulæ, deliciis addicta, non ſanitati; ſumenda quæ prudens natura obtulit, ſucci optimi, coctionis non difficilis, præcipuè ſi diverſi generis fibras quibus gaudet ventriculus, ejuſdemque fermentum juvant & ad agendum promovent.

QUI Facultatem ut veram & unicam coctionis cauſam aſſignant, illi non ſunt inter Phyſicos numerandi. Non minùs etiam hallucinantur qui eam caloris unius ope abſolvi contendunt, licet ad alimentorum diſſolutionem non ſit omnino inutilis. Cauſa præcipua fermentum eſt, non acidum: ſed naturæ ſingularis, & illi perſimile, quod nonullis Alcha-eſt nuncupatur; ab illo nempe nullum alimenti genus intactum relinquitur, cùm multa ſint tamen, quæ acidorum vim eludunt. Illud non à liene, hepate, nervis, venis, aut vaſis quæ lymphatica dicuntur, defertur ad ventriculum; originem ducit à glandulis conglobatis, quarum ope à ſanguine ſegregatur, eodem modo quo urina in renibus, bilis in hepate, in pancreate ſuccus non multùm à ſaliva abſimilis, denique liquores omnes naturæ cujuſvis, qui in variis corporis partibus ad ſuos uſus ſecernuntur. Fovetur à reliquiis alimentorum, & fermentationis heſternæ. Hujus interventu alimenta dentibus inciſa & ſalivari ſucco permixta, dum mirabili deglutitionis artificio ventriculo excepta ſunt, in minutiſſimas partes dividuntur, & motu fermentationis mutatâ particularum figurâ, aliud corpus exurgit chyli nomine appellandum. Ad id etiam non parum confert ventriculi textura, cujus fibræ triplicis generis hanc alimentorum molem ſuſcitant, & mirum in modum agitant. Si igitur ſegniùs ſit fermentum, aut laxiores fibræ, chyli elaboratio peſſima, proindeque ſanguinis: ſi contrà cuncta ſuccedant, nihil deſideratur ad coctionis opus abſolvendum.

GULÆ ſimul & ſanitati conſulere, non ita facile eſt. Utrumque tamen in Oſtreis videtur conſentire delicatioris palati epulonibus, nec non ſeverioris doctrinæ Medicis. Hinc Oſtreis meritò palma menſarum tribuitur, quibus miſcetur utile dulci. Horum ex putreſcente limo aut ſpuma circà navigia, generatio, fictitia. Immò mirabilis in Oſtreis partium ſtructura nonniſi ab ovo repetenda. In hoc rudis partium delineatio, ſolis interventu tandem explicatur. Quinetiam teſtæ ipſæ connatæ ſunt, & prout mole accreſcunt, à perenni aëris impulſu ſpiritûſque niſu, qui intus omnia ſubagitat, ſenſim indurantur. Iis muſculus robuſtus per tendines ſuos adnaſcitur, quibus contractis occluduntur, relaxatis aperiuntur. Caput in Oſtreo non minùs eſt conſpicuum, & ineſt quidquid habet in cæteris animalibus natura induſtriæ. Ab ore tranſitus brevis & rectus ad ventriculum. Hujus cavitas ſatis ampla foraminulis quibuſdam, mechanico more, alimenta pulſat in corpora ſubfuſca duo ei utrinque affixa, quibus iidem uſus eſſe videntur, qui vulgò meſenterii atque hepatis ſunt. Puriore chyli parte defæcata, inteſtinum ſimplex & unicum gyro longiſſimo excrementa ducit, foras tandem propellenda. Infra ventriculum cor albicans cum auriculâ ſatis amplâ & ſubnigrâ, pulſu non obſcuro, cujus unaquâque ſyſtole vitalis humor in Aortam pellitur. Non deſunt etiam Oſtreis vaſa quædam peculiaria, quibus lympha ad intimos receſſus vehitur partibus nutritionem datura, ſi in ſicco diutiùs remaneant. Sed, non omne mare eſt generoſæ fertile teſtæ. Ut Oſtrea figurâ, magnitudine, coloribuſque variant, variis in regionibus; ſic & ſucci dignitate. Iis præſertim maribus gaudent, quibus affluunt flumina quorum lenitate recreantur. Hinc Romani, dum magnitudinis atque luxuriæ faſtigium tenerent, non niſi Lucrinis eruta littoribus Oſtrea menſis apponebant, & ſumtu non ſine magno renovabant per damna famem. In hoc alimento nihil eſt quod ventriculo non ſit amicum, levis & coctu facilis caro, humor quo incitatur fermentum, quo recreantur fibræ; ſuccus laudabilis venis committitur.

INSPECTA Oſtreorum compage, illis omnes ineſſe alimenti optimi conditiones nemo ſanæ mentis impugnet. Non modò coctu facilis caro & quam ſubeat perfectè ventriculi fermentum; ſed lympha conceditur naturæ ſingularis, cujus interventu creſcat & juvetur potiſſimùm author ille coctionis præcipuus. Cave tamen ne illam boni ſucci putes, quæ intra teſtas occluditur, immixta ſæpius excrementis, & ut plurimùm rejicienda; ſed quæ inter oſtrei fibrillas abdita ſubſtantiam ejus ita penetrat, ut ſi Oſtreum diutiùs extra teſtam remaneat, ferè totum in aquam reſolvatur. Hanc ventriculi fermento perſimilem demonſtrat experientia, & iiſdem eſſe ſalibus refertam quibus alimentorum diſſolutio perficitur. His in conviviis ne timeas imbecillam coctionem, quibus, ut decet, Oſtrea præmittuntur. Novum addunt illa fami ſtimulum. Sollicitus, ut ita dicam, Oſtreorum paſtu ventriculus, cibos quærit & ab iis non opprimitur; ſed leni fermentatione ritè parato chylo, quod à perenni motu & ſpirituum diſſipatione deperditum eſt, reficit. Hinc ſi debilius ſit fermentum à morbo, & nondum confirmatæ valetudinis ſtomachus ad alimentorum etiam viſum nauſeat, ſæpius compertum eſt profuiſſe Oſtrea. Illorum nempe præſentiâ relaxatæ fibræ recreantur & ad opus ſeſe accelerant, inertes antea & oppreſſæ. Hæc præſtant Oſtrea, ſi abſque ullo artis apparatu comedantur, quidquid habent dulcis & utilis amiſſura ſi cocta apponantur in epulis; indurantur enim quàm plurimùm, & dum grato illo ſale ſpoliantur quo ſenſum antea afficiebant, fermenti vim eludunt, totumque pervertunt coctionis opus.

QUIBUS igitur erit nonnulla in alimentorum delectu ſanitatis cura, illi ne ab Oſtreis imprudenter abſtineant. Illis quippe ineſt ſuccus purus, amicè ſalſus ventriculo maximè conveniens. Non ergo mirum, eo apud eruditos epulones in honore fuiſſe, ut in remotiſſimas à mari regiones ligneis lacubus apportarentur, in quibus veluti eâ peregrinatione gaudentia, adoptataque dulcibus aquis, mirè pingueſcebant. Iis, ſi cruda ſumas & qualia natura dedit, nihil ſuavius eſt. Nocet ut plurimùm faſtidioſus ille ciborum apparatus. Innumeros eſſe morbos miraris? Coquos numera, quos unus venter exercet. Ut & ſimpliciora medicamenta morbis medentur quàm plurimis, ſic & ſimplicibus alimentis damna reſarcienda ſunt, quæ plerumque cæteris opſoniis augentur, non reparantur. Hac victûs ratione laudabilis chylus vaſis lacteis commiſſus, tandem mutabitur in ſanguinem temperatiſſimum, functiones omnes ritè & rectè perficientur, nihil erit ad ſuccorum ſeparationem optandum; ad ſpirituum ſubtilitatem nihil deſiderabitur. Ipſa anima hilarior, vis major ingenii, animi pathemata qualia ſanitati non noceant. His inſtructus homo ad ultimam ſenectutem perveniet, nulliſque turbata incommodis ætas per tacitum fluet, non niſi poſt diuturnam felicemque vitam indomitæ morti ceſſura.



Ergo Oſtreum crudum eſca ſaluberrima.

Proponebat Lutetiæ PHILIPPUS IGNATIUS SAVE, Montenſis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1689.